



Prot. N. 841/22/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Iosepho Ignatio Munilla Aguirre, Episcopo Oriolensi-Lucentino, in centesimo Coronationis anniversario simulacri Nostrae Dominae a Virtutibus Patronae de "Villena", piissime adservati in Sanctuario Nostrae Dominae a Virtutibus, praefatae Dioeceseos, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XVIII Septembris MMXXII usque ad diem XVII Septembris MMXXIII lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint si praefatum Sanctuarium turmatim vel singillatim in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus ritibus devote interfuerint, vel saltem coram Beatae Mariae Virginis imagine publicae venerationi exposita, per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die VIII mensis Augusti, anno Dominicae Incarnationis MMXXII.

*Maurus Card. Diomede
Paenitentiarum Praeceptor*

*Antonius Neri
Receptor*